



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1637**

SS. Claudius, Asterius, Neon MM. 23. Augusti.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44055**

Interea monitoribus & comitibus Angelis usus Athanasius obviam venit virginis, & ad primum congressum fontem precibus suis dedit, tum deinde ANTHVSÆ corpus undis, animum gaudiis perfudit. Et ut sciret, quem h̄ic colorem in tam sanctis thermis induisset, adfuere gemini cælites, qui veste & ipsâ candidâ candidissimam animulam donarunt. Hac illa superba facile auream, quam gerebat, contempsit, exutamque Athanasio, ille miseris dedit. Talis denique nutricem adiit, quæ cum pretium vestis non intelligeret imprudens, culpavit scilicet virginis in tantâ nobilitate modestiam. Athæc clam matre ad Episcopum revertit, & quod sciret facile innocentiae vestem sordes trahere, impetravit alteram & setis horridam, quâ tegeret priorem & indemnem servaret. *Quia*, ut ne domestici fures hanc raperent amici, in silvas exportavit. Sed & nutrices pro unâ illâ tot illic invenit, quot feras, quæ triginta & duos annos aluere hospitem. Immortua est rupi (lectus hic illi erat) adversus plurimos insultus dæmonis mali ipsa etiam rupes. *Ex Meneis.*

*Caro pretiosis indumentis cooperta quid aliud est, quâm caro fœtida, corruptibilis, necnon ex omni corporis meatu scaturiens in saniem, quam non valet sustinere visus, olfactus percipere, neque ipsa hominis natura perferre?* S. Laur. Just. l. de Humil.

### SS. CLAUDIUS, ASTERIUS, NEON

MM. 23. Augusti.

Protest Ægæa hodie invidiam Romæ facere, & tergeminos fratres & ipsa suos jactare, Horatiis vel ideo fortiores, quod vivus è pugnâ nullus abierit, omnes ceciderint viatores. Illis nomina

S 2

funr

sunt CLAVDIVS , ASTERIVS & NEON , dissimilia vocabula, cæterū virtus sub pectore eadem planè & constantia. Primò singuli, tum totâ fraternâ acie pugnarunt ; nec in tres solum hostes , sed in totas carnificum cohortes. Videlicet ad servilem metum , virgas , cederent Christi milites ? Risum hæ , non gemitum expressere. Jam unci ferrei & ungulæ bubulique nervi in lacerato corpore integrum animum prodiderunt. Prunis & cum prunis tyranno insultarunt etiam. Tædas corpori admotas fortior ignis extinxit DEI amor. Ex equuleo verò velut è cathedrâ , pulcherrima & dignissima Philosophiâ Christianâ oracula ediderunt. Post tot igitur pugnas meritò denique in crucē triumphavit nobilis fratrum ternio. Neque obfuit triumpho huic , quod corpora feris avibus præda cederent , cùm nobilissimam eorum partem animam beatiores jam volucres abstulissent. Ex Lippeloo.

*Renatus & à Deo adoptatus in filium imaginem, tui porta auctoris, non majestate, qua solus est, sed innocentia, simplicitate, mansuetudine, patientia, humilitate, misericordia, qua dignatus est nobis fieri & esse communis. S. Pet. Chrys. serm. 117.*

S. PHILIPPUS ORD. SERV. B. M. V.

23. Augusti.

**M**ultam multi servitutem serviunt , nulli honestiorem , quām qui servos se VIRGINIS gloriantur. Horum ædem , quæ Florentiæ est & MARIAE ab Angelo Salutatæ fert nomen , ingressus PHILIPPVS noster , dum illa ad alium Philipum verba leguntur , Philippe accede & adjunge te ad currum istum , videt cæli Dominam aureo

in